



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

Ixiv [i.e. iii]. Voces significativa signi ex instituto est instituentiu[m] tale
signum declarata & acceptata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

flexam habet, quâ dicit: *volo, ut illud faciat dependenter à mea voluntate*: & sic reflectit se supra priorem suam volitionem: vel dic, eandem volitionem directè ferri in actualem significationem, abstrahendo an ea fiat dependēter à sua voluntate, & indirectè habere se ipsam pro objecto, qualiter multæ volitiones habent se pro objecto, v. g. hæc, quâ Princeps dicit subdito; *volo, ut dependenter ab hac mea volitione sis iudex*. Sic itaque signum est concretum, in recto seu pro materiali dicens rem, quæ signum est, in obliquo vim significativam, id est, voluntatem authoris, quæ voluntas utiquè entitati signi est extrinseca, ipsi verò huic concreto intrinseca.

III. Voces inarticulatæ animalium pleræq; non tantùm in levamen aut exultationē naturæ sunt institutæ, sed etiam signa naturalia sunt doloris & lætitiæ, ut gemitus, ejulatus. Voces articulatæ hominū signa naturalia nō sunt objectorum (signa enim naturalia apud omnes gentes sunt cōmunia & eadē, quales non sunt voces) sed ad placitum; quare dum Adam omnia dicitur appellasse nominibus suis, intelligendum non est, illū ea appellasse

D

nominibus

nominibus significantibus naturaliter, sed ta-
 libus nominibus, quæ voluit deinceps ex sua
 institutione singulis esse propria. Nihilomi-
 nùs voces signa sunt naturalia voluntatis illas
 proferentis; cum illa enim & cum cognitione
 naturalem connexionem habent, utpote soni
 prolati ab animali cum imaginatione & in-
 tentione aliquid significandi. Significant verò
 voces humanæ (quales non sunt voces corvi,
 dormientis, vel prorsus ebrii;) utpote à natu-
 ra institutæ ad hoc, ut possimus colloqui de
 rebus, & unus alteri suos de rebus conceptus
 manifestare, res & conceptus; illas quidem
 immediatè, saltem per modum imaginis;
 quia harum species immediatè excitant in
 audiente: hos immediatè per modum argu-
 menti; quia sunt argumentum immediatum,
 ex quo inferitur, quòd loquens habeat con-
 ceptum conformem verbis; mediatum verò
 argumentum, quòd objectū sit conforme lo-
 quentis conceptui; auditis enim à Paulo, què
 scio hominem esse veracem, his verbis: *Petrus
 est doctus*, infero & judico Petrum reverà esse
 doctum. Supponunt item pro rebus & con-
 ceptibus (habent enim id signa quædā, quæ
 præterquam, quòd manifestent rem, pro ea
 quæ.

quoque supponant, id est, ut quod de iis, non tamen pure materialiter acceptis, affirmatur vel negatur, censeatur affirmari vel negari de re, pro qua supponunt (quod non facit hædera respectu vini) quia præstant id in audiente, quod præstaret res, si ipsa in medium adduceretur, & conceptus, si hi immediatè inspicerentur. Sic itaque etiam, hæc vox *cognitio* supponit pro re & cognitione, dum enim illam profero, duas habeo cognitiones, unam objectivam, quæ nomine rei venit, alteram formalem, quæ objectivam cognoscit. Ex eo tamen, quod voces supponant pro re & conceptu, sive pro re ut concepta, non significant secundò intentionaliter; quæ enim sic significant, supponunt pro re ut affecta conceptu tanquam concreto, quod totum nomine rei venit, & præterea pro cognitione altera, cum qua vox hujus concreti profertur.

IV. Scripturæ, quæ componuntur ex litteris (Zypheræ enim & notæ Chinesium & Ægyptiorum hieroglyphicæ singulæ incompositæ res singulas significantes, immediatè significant res) significant immediatè vocem, ut patet in eo, qui potest legere hæbraica, &